



vero quisquam hodie circumscriptor adeo seuerus, qui concubitum cum vxore, quam grauidam maritus sciret, non permit- tendum putet. Etsi enim ex eo liberi nulli futuri sint, adeo- que primarius ille, vt vocatur finis, hoc concubitu obtineri ne- queat, tamen contrariae sententiae patroni, congressum cum grauidis non plane interdixere, vt sic ipsimet fateri cogantur, non omnia in matrimonio ad spem et procreationem sobolis ef- fe referenda. Nam aut concedere nobis debent, praeter hunc finem, etiam delectationes in matrimonio quaeri, aut relin- quenda est marito probo et legibus diuinis obtemperanti vxor, tam sterilis, quam grauida. Quid vero eueniat, si illud sta- tuamus? Docuerunt quidem talia inepti quondam, qui parum considerantes, suam cuique generi propriam naturam esse, et- iam si de caetero animalium vitas nos intueri nolint, sed, si quis talia proponat, toto animo abhorreant, in hac tamen vna re nos bestiis similes esse praeceperunt et propterea, quod non- nullae ex pecudibus et auibus, postquam conceperunt, con- gressum deprecantur, *can. 15. Caus. 32. qu. 7. in fine*, idem in ho- minibus fieri debere stulte existimarunt. Longe profecto mul- toque iis P O P V L I A sapientior, quae miranti quid esset, qua- propter mulieres marem semper desiderarent, aliae bestiae au- tem non, nisi cum praegnantibus fieri vellent? *Bestiae enim*, respondit.

§. VII.

Romani non diuino oraculo, sed ciuili ratione, vt res- publica liberis ciuibus repletur, moniti, cum ad sobolis pro- creationem omnia referrent, huic doctrinae in Lege Papia Pop- paea denuo confirmatae multo, quam nostri, tenaciores, ob sterilitatem diuortia quondam sine vlla dubitatione decreue- runt. *) Quid quod? iurare cogebantur mariti liberorum gi- gnendorum gratia se matrimonium colere, ne quis data opera

Ob sterilitatem non dissoluitur matrimonium, at propter impotentiam dissoluitur. Ergo-

B 2

se

*) L. 60. §. 1. ff. de donat. inter vir. et vxor. ibique Dionys. Gothofr.